Nr. 5062.

CURRENDA XXV.

A. D. 18 O.

N. 199/præs.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XX AUGUSTI MDCCCLXXX AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS. (contra Belgas)

VENERABILES FRATRES.

Summi Pontificatus sacrosancta majestas, quam sicut habemus ipsa vita cariorem, sic conservare ac tueri omni contentione volumus et debemus, postulat a Nobis, ut de injuria longe maxima supremae auctoritati Nostrae et huic Apostolicae Sedi haud ita pridem imposita, ad Vos, Venerabiles Fratres, hodierno die referamus, De injuria intelligimus illata ab administratoribus rei Belgarum publicae, quod Legatum Nostrum nulla justa caussa repente dimiserunt.

Nos quidem non tam privato dolore permoti, quam de Apostolicae Sedis honore solliciti, totam rei gestae seriem una cum instrumentis atque auctoritatibus, quibus iure credatur, pervulgari jussimus, ut omnia proferrentur in lucem veritatis, et aequi viri facile statuerent, quam parum habeant firmamenti et virium conjectae ab inimicis in Apostolicam Sedem indignissimae criminationes. — Nunc vero ejus facti rationem altius considerantes, cum in hoc tum in aliis non absimili genere, quae fere ubique geruntur, certa vestigia agnoscimus quae significant recruduisse vehementer bellum, longo jam tempore adversus Christi Ecclesiam nefarie susceptum. Imo etiam magis apertam nudatamque conspicimus factiosorum hominum de abalienandis ab Apostolica Sede animis veterem conjurationem, eo consilio initam, ut in christianas gentes, quas semel Romani Pontificis auctoritati praesidioque forte subduxerint, omnem ipsi nutu atque arbitratu suo potestatem exerceant. Atque idem plane propositum inimicis fuit, cum per vim et dolos eripere Romanis Pontificibus

civilem principatum voluerunt, manifesto divinae Providentiae consilio et consentiente aetatum suffragio constitutum, uti salva iis perpetuo ea securitas ac libertas esset, qua nihil est magis in gerenda christiana republica necessarium. — Neque alio machinationes spectant summis artificiis excogitatae, adhibitaeque calliditate pari, per quas multi jamdiu contendunt invisam et suspectam facere populis Ecclesiam, invidiamque institutis catholicis conflare, praecipue autem Pontificatui romano, ad communem humani generis salutem divinitus instituto.

Haec eadem consilia etiam in Belgio exequi catholici nominis hostes destinaverant, ut vincula abrumperentur aut relaxarentur quae Belgarum gentem Apostolicae Sedi conjungunt. Quamobrem, data opportunitate, in ipsis legumlatorum publicis coetibus pluries est eorum exaudita vox. Legationem belgicam apud Romanum Pontificem esse tollendam: idque se statutum in animo ac deliberatum habere. Revera duobus ante annis, vix dum ad gubernacula reipublicae homines illarum partium accesserant, mora nulla fuit, quin aperte edicerent, revocationem oratoris belgici a legatione esse decretam; eamdem reapse perfectum iri, ubi primum per tempora licuisset.

Cum haec consilia atque hic habitus animorum in iis esset, perlata lex de primordiis studiorum publice tradendis, propositi perficiendi caussam attulit. — Nostis, Venerabiles Fratres, indolem hujusce legis atque rationem. Profecto in ea condenda hoc maxime consilium atque hanc sententiam fuisse apparet ab auctoritate catholicae religionis, vel a pueritia, abducere animos, institutionemque juventutis, remota qualibet Ecclesiae providentia, civilis potestatis imperio voluntatique reservare. Etenim ea lege decernitur, in educatione puerili nullas esse debere sacrorum Pastorum partes, nullam Ecclesiae vigilantiam; dissociatisque penitus a religione litteris, ab eruditione puerorum, si ipsa publicarum scholarum ratio et disciplina spectetur, omnem de religione doctrinam abesse praecipitur: quod perfacile cernitur quam sit fidei et moribus ineuntis aetatis periculosum. — Eoque gravius esse periculum intelligitur, quod eadem lege omnis religiosa institutio plane excluditur ab iis ipsis itterarum palaestris, quas scholas *normales* vocant, ubi exercitatione praeceptisque conformatur, qui quaeve deinceps velint ad erudiendos pueros sese conferre.

Lex hujusmodi, per quam plurimum de doctrina juribusque Ecclesiae detrahitur, maximoque discrimini sempiterna adolescentium salus obiicitur, non poterat, salvo officio, Episcopis probari, quibus a Deo id est muneris onerisque impositum, ut in salute animorum fideique sanctitate defendenda vigilanter elaborent. Revera cum probe sentirent, quid a se tempus officiumque postularet, sedulam operam dederunt arcendae ab ejusmodi publicis scholis juventuti, aliasque aperiendas curarunt, potestati suae obnoxias, in quibus tenerae adolescentulorum mentes cum litterarum tum religionis elementis optime formarentur. Et hanc ad rem, laus est egregia Belgarum, peropportuno huic operi sese alacritate summa adjutores praebuisse. Cum enim animadverterent, quantum religioni periculum ab ea lege impenderet, avitam fidem, quoquo modo possent, tuendam susceperunt; idque tam inflammato studio, ut laborum ac sumptuum magnitudo admirationem fecerit apud omnes, ad quos hujus rei fama pervenit.

Nos vero, qui propter excelsum supremi Pastoris et Magistri munus, intemeratam ubique fidem conservare, sacra Ecclesiae jura asserere, et salutis discrimina a capite gentium christianarum propulsare debemus, ipsa officii ratione sinere prohibebamur, indemnatam per Nos abire legem, quam Venerabiles Fratres Nostri Episcopi belgici jure condemnavissent. Quapropter in litteris Nostris ad dilectissimum filium Nostrum Leopoldum II. regem Belgarum aperte declaravimus, legem die I. Julio mense factam magnopere catholicae doctrinae praeceptis repugnare; eamdemque perniciosam saluti adolescentium, neque parum ipsi civitati calamitosam futuram. Igitur qua talem improbavimus damnavimusque non semel, sicut nunc in conspectu omnium Vestrum, iisdem de caussis, iterum improbamus atque damnamus. Quam rem more agimus institutisque Apostolicae Sedis, quae semper judicii atque auctoritatis suae pondere scholas perculit cujuslibet religionis expertes, quas medias seu *neutras* appellant, quaeque suapte natura illuc tandem evadunt, ut Deum prorsus non agnoscant: neque usquam passa est, ejusmodi scholas a juventute catholica celebrari, nisi certis casibus, cum eam tempus et necessitas cogeret, cautoque prius ne praesens esset pravae contagionis periculum. — Nihilominus christiana caritae animati, et quod nolebamus ullam dari caussam quamobrem acerbius bellum fieret, valde auctores fuimus Venerabilibus Fratribus Nostris Episcopis, in medio certamine consistentibus, ut, quod ad decreta exequenda, moderationem et suavitatem in re praesenti ne relinquerent, et in poenis exigendis agerent lenius; quoniam rei christianae studium, tam justa caussa incensum, paterna illa benevolentia temperari oporteret, quae devios quosque benigne com plectitur.

Multum ad ea quae volebamus cohortationes Nostrae profecerant, multoque magis futurum videbatur, ut in reliquum tempus proficerent; non satis tamen ex sententia curatorum rerum belgicarum, qui Episcopos ipsos muneri suo firmissime intentos nihilominus coargui a Nobis, et in quo essent probabiles, in eo reprehendi voluissent. Quod cum Nos libere constanterque negavissemus facturos, idcirco officiose amiceque Nobiscum agi desitum est, et insigni, vixque alias audito illiberalitatis exemplo, legatus Noster excedere finibus jussus est. — Plura deinde per ambages et calumnias caussati, indigne factum tegere falsis nominibus conati sunt, omnemque caussam et culpam in Apostolicam Sedem transferre. Crescente autem audacia, nec a conviciis, nec a contumeliis temperatum est: imo ne in Urbe quidem Roma hostilis animi defuit insolens ostentatio.

Quapropter muneris Nostri apostolici memores, casum gravem et repentinum in conspectu omnium Vestrum, Venerabiles Fratres, deplorantes, Nobiscum et cum sancta Petri Sede inique actum esse testamur et conquerimur. Cumque jus potestatemque habeat Pontifex maximus Nuntios aut Legatos ad exteras gentes, nominatim catholici nominis, earumque principes mittendi, de violato hujusmodi jure cum iis quos penes est culpa, expostulamus: eoque magis, quod ejus juris multo augustius est in Romano Pontifice principium, cum ab amplissima auctoritate primatus, quem ille divinitus obtinet in universam Ecclesiam, proficiscatur; quemadmodum et Pius VI. gloriosae recordationis Pontifex declaravit his verbis: „Jus est Romano Pontifici habendi aliquos, in dissitis praesertim locis,

qui sui absentis personam repraesentent, qui jurisdictionem suam atque auctoritatem stabili delegatione collatam exerceant, qui denique suas vices obeant; idque ex intima vi ac natura primatus, ex juribus dotibusque cum primatu conjunctis, ex constanti Ecclesiae disciplina a primis usque saeculis deducta..“ [1].

Querimur super hoc etiam, quod dimittendi Nostri per Belgium Legati caussa injuriosa et de industria quaesita allata sit; cum contra dimissum idcirco esse constet, quod Nos deserere officium recusavimus, factaque significatione Nostrae cum Venerabilibus Fratribus Episcopis belgicis consentientis voluntatis, discedere ab iis nulla ratione voluimus. — Demum cohibere querelas non possumus propter multa et varia, quae de Nobis et hac Sede Apostolica sunt contumeliose atque atrociter dicta. Equidem quod privatim ad Nos, prompti ad perferendas patienter injurias sumus, ignoscendumque obtrectatoribus atque inimicis, *gaudentes*, Apostolorum exemplo, *quod digni habiti sumus pro nomine Jesu contumeliam pati* [2]. Nihilominus tamen Deum hominesque testamur, numquam esse passuros, ut quidquam de Apostolicae Sedis existimatione et dignitate impune minuatur; quam Nobis ecrtum est, omni vi et omnium rerum vitaeque ipsius, si res postularet, jactura defendere, ut tantae hujus dignitatis amplitudo servetur, Nostrisque Successoribus integra atque inviolata tradatur.

Has autem voces, quas justus animi dolor et conscientia officii in hoc amplissimo consessu Vestro, Venerabiles Fratres, Nobis expresserunt, late per orbem terrarum propagari volumus, ut viri principes universaeque gentes, querelarum Nostrarum aequitate perspecta, intelligant quibus profecta initiis, quem habuerit exitum res de qua loquimur; simul fraudes caveant, quibus homines non probi in aures animosque influunt multitudinis; alacriterque studeant in fide Romani Pontificis, nihil mutata aut labefactata voluntate, permanere.

Quod ad catholicam Belgarum gentem attinet, in summa est eorum laude ponendum, quod magna affecti sollicitudine ob Nostri discessum Legati, quem tot annos perhonorifice exceptum modis omnibus observarant, in hoc tempore propensioris voluntatis huic Apostolicae Sedi documenta deproperent: volunt enim, qua ratione possunt, curam et molestiam compensare injuriarum, quas in persona humilitatis Nostrae Jesu Christi Vicarius accepit. — Atque hic pergratum Nobis est recordari grave quoddam laudum praeconium quod a Gregorio XVI, Pontifice maximo, Nobis praesentibus, atque audientibus, Belgis tributum est. Is enim cum Nos pontificiae apud eos legationi benigne destinaret, de gente illa in universum plura effatus est verbis amplissimis, appellavitque genus hominum fortissimum, pientissimum, quorum fides et amor erga Apostolicam Sedem et erga Principes suos multis rebus ac perdiu constitisset. — Revera has ipsorum virtutes cum superiorum aetatum monumenta testantur, tum Nos usu et consuetudine Ipsi cognovimus, quamdiu illa legatione functi sumus; illorumque hominum et temporum et rerum jucundissima haerens in animo recordatio, peculiarem Nostram in eos fovit atque aluit benevolentiam. Igitur de Belgis confidimus futurum, ut ab Ecclesiae amore et obsequio numquam discedant, constantesque in fidei catholicae professione, et de christiana juventutis institutione anxii atque solliciti, sese patribus et majoribus dignos in omne tempus impertiant.

---

[1] Resp. super Nuntiaturis Apost. cap. 8, sect. 2, n. 24. — [2] Act. V. 41.

Haec de rebus belgicis habuimus, quae Vobiscum, Venerabiles Fratres, communicaremus, ut illatam Apostolicae Sedi injuriam propulsaremus, violatamque dignitatem tueremur. — Attamen per Vos ipsi videtis, praesentes Ecclesiae labores non esse Belgarum finibus circumscriptos. Longius serpit bellum, et latius manant rei catholicae detrimenta: quorum tamen sermonem praesens in tempus omittimus. — Interim vero meliore spe erectos confirmatosque animos gerere oportet, et concordibus obsecrationibus suppliciter contendere a Patre misericordiarum et Deo totius consolationis, ut Ecclesiam sponsam suam, tot fessam malis ac tantis curis exercitam, benigne consoletur; sedatisque undis ac fluctibus, optatam diu tranquillitatem restituat.

N. 4909.

Immaculatae Conceptionis B. M. V. festum ad ritum duplicis primae classis elevatur, et Missa de Vigilia conceditur.

Recurrente quinto supra vicesimum anno, quo toto Orbe catholico exultante dogma de Immaculata Conceptione B. Mariae V. a sacrae memoriae Pio IX. definitum est, ad potentissimam Reginae Cœli in his quam maxime calamitosis temporibus opem implorandam, nec non ad venerationis ac pietatis affectum erga Sanctissimam Dei Matrem in cordibus fidelium augendum, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. festum ac officium Immaculati Illius Conceptus pro universo Orbe ad ritum duplicis primae classis elevavit, et in posterum sub ritu duplici primae classis una cum Missa Vigiliae, jam nonnullis Dioecesibus concessa, in universa Ecclesia celebrari mandavit.

Decretum Urbis et Orbis a Sacra Rituum Congregatione, Suae Sanctitatis jussu, die 30. Novembris 1879 hac in causa editum, sic sonat:

Decretum Urbis et Orbis

Quod Catholica Ecclesia divinis Scripturarum eloquiis, et Apostolica traditione edocta, perpetuo ac unanimi Episcoporum et fidelium consensu in votis habuerat ut Deiparae Virginis in sua Conceptione adversus teterrimum humani generis hostem victoria de fide credenda a Petri Sede declararetur, hoc praestitit Summus Pontifex Pius IX sa. me. sexto Idus Decembris anni millesimi octingentesimi quinquagesimi quarti. Siquidem, ingenti adstante coetu Sanctae Romanae Ecclesiae Patrum Cardinalium, et sacrorum Antistitum ex dissitis etiam regionibus, universoque plaudente orbe, solemniter definivit: doctrinam, quae tenet Baetissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse, singulari Dei privilegio. ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, ac proinde ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. A qua auspicatissima die fidelium pietas ac devotio erga Sanctissimam Dei Matrem potissimum sub hoc singulari titulo excrevit, et latius propagata est; plures erectae Ecclesiae; pia instituta Sodalitia; bonarum artium, atque scientiarum Academiae nuncupatae. Quibus religionis incrementis plures permoti sacrorum Antistites humillimas Sanctissimo Domino

Nostro LEONI PAPÆ XIII exhibuere preces, ut hoc recurrente quinto supra vicesimum anno ab ejus dogmatis definitione, cujus solemniori undique pompa memoria recolitur, ad augendum magis magisque cultum erga Deiparam semper Virginem, festum ac Officium Immaculati illius Conceptus pro universo Orbe ad ritum duplicis primae classis elevare dignaretur. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster pro sua erga eamdem Virginem Immaculatam veneratione ac pietatis affectu, spem fovens futurum, ut Ipsa apud Christum Filium suum et Dominum Nostrum interveniente, pax detur Ecclesiae, Civili Societati ordo et concordia redeant, fideles virtutum incrementa suscipiant, devii in viam salutis revertantur, his precibus indulgendum esse censuit. Idcirco mandavit ut per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis hujusmodi festum ac Officium Immaculatae Conceptionis in posterum sub ritu duplici primae classis una cum Missa Vigiliae, jam nonnullis Diœcesibus concessa, in universa Ecclesia celebretur: servatis Rubricis, aliisque de more servandis. Voluit autem Sanctitas Sua ut super his expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30. Novembris 1879.

L. † S. D. CARDINALIS BARTOLINIUS S. R. C. Praefectus.
PLACIDUS RALLI S. R. C. Secretarius.

Tarnoviae die 30. Octobris 1880.

Lydia i Sieroty Zebrzydowskie, powieści wydane przez ś. p. Księdza Prałata Króla, są do nabycia.

Po ś. p. Księdzu Prałacie Michale Królu, zostało kilkadziesiąt egzemplarzy wydanych przez niego powieści, Lydia i Sieroty Zebrzydowskie. Nabyć je można za jedne msze świętą za każdą z tych powieści, a to za spokój duszy zmarłego Prałata odprawić się mającą Przewielebni JX. Dziekani raczą napisać ilość książek przesłać się mających.

L. 4950.

Wezwanie do składek na sprawienie Album na pamiątkę pobytu Najjaśniejszego Monarchy w kraju naszym.

Komitet zawiązany w celu utrwalenia niezatartéj pamięci pobytu Najjaśniejszego Monarchy w kraju naszym, postanowił wykonać album na któreby się kraj cały składał, i ofiarować go Następcy Tronu Jego Ces. Wysokości Arcyksięciu Rudolfowi i Najdostojniejszéj Jego małżonce. W tym celu wygotował do Nas odezwę, którą w całości Wielebnemu Duchowieństwu udzielamy:

Najprzewielebniejszy Konsystorzu!

Licznie zebrani obywatele w Łupkowie po pożegnaniu Najjaśniejszego Pana na granicy kraju, postanowili jednomyślnie postarać się o wykonanie Albumu Pamiątkowego chwil pełnych znaczenia i niezatartéj pamięci, które Najłaskawszy Monarcha między nami przepędzić raczył, a to w celu ofiarowania tego Albumu Jego Cesarskiéj Wysokości Arcyksięciu Rudolfowi i Najdostojniejszéj Jego Narzeczonéj w uroczystéj chwili zaślubin. Do wykonania téj myśli wybrali obecni komitet złożony z pp. J. E. Włodzimierza hr. Dzieduszyckiego, Dra Michała Gnoińskiego, J. E. Kazimierza Grocholskiego, Artura hr. Potockiego, J. E. Ludwika hr. Wodzickiego, Erazma Wolańskiego i Dra Michała Zyblikiewicza.

Komitet ten ukonstytuował się 16. bież. m. a postanowiwszy fundusze potrzebne uzyskać drogą składek z całego kraju zebrać się mających, otrzymał pod tym względem

zezwolenie Prezydyum ck. Namiestnictwa w pismie z dnia 16. b. m. do L. 10373/pr., skromny bowiem upominek prawdziwéj dopiero nabierze wartości przez współudział jak najliczniejszy mieszkańców kraju, mniéj i bardziéj zamożnych, bez różnicy wyznań i stanu.

Do zbierania składek uprosiliśmy Prezydentów miast Lwowa i Krakowa, i Prezesów Rad powiatowych, upoważniając ich, ażeby udali się z prośbą o pomoc w zebraniu funduszów do Przewielebnego duchowieństwa.

Mamy nadzieję, iż Najprzewielebniejszy Konsystorz przez wzgląd na cel, o jaki chodzi, nie zechce nam odmówić swego współdziałania, zachęcając ze swéj strony duchownych do popierania sprawy składek jak najliczniejszym udziałem całéj ludności.

Datki choćby najdrobniejsze będę wdzięcznie przyjęte.

We Lwowie dnia 19. Października 1880.

Przewodniczący: *Wodzicki.* — Sekretarz: *J. Ekielski.*

Biskupi Konsystorz żywi niepłonną nadzieję, że Przewielebni dusz Pasterze zachęcą Parafian do licznych składek, nie chodzi tutaj o wysokość daru jak raczéj o powszechność, by każdy choćby z najdrobniejszym datkiem, do téj składki się przyczynił, aby jedna chęć, jedna myśl, ożywiała wszystkich a udział był powszechny. Uzbierane datki odeślą Przewielebni dusz Pasterze do Biskupiego Konsystorza.

Z Biskupiego Konsystorza,
w Tarnowie dnia 31. Października 1880.

L. 4860.

Wykazy statystyczne o ruchu ludności mają być z wszelką akuratnością sporządzane.

Pod tym względem otrzymał Biskupi Konsystorz od c. k. Namiestnictwa z dnia 12. Października 1880 L. 41150 zażalenie, że wykazy statystyczne są sporządzane niedokładnie, poleca tedy c. k. Namiestnictwo, aby przewielebni dusz pasterze w sporządzaniu wykazów ściśle się danéj instrukcyi trzymali: Rozporządzenie to brzmi jak następuje:

C. k. Namiestnictwo we Lwowie. L. 41150.

Spostrzeżono, że kierownicy stacyj duchownych kładąc małą wagę na wykazy statystyczne o ruchu ludności, sporządzają je bardzo często niedokładnie i z nieświadomością odnośnéj instrukcyi, przez co dzieje się często, że im wykazy do uzupełnienia zwracane być muszą, a w szczególności nie baczą na wypełnienie adnotacyi w wykazie Nr. 1, co do wieku oblubieńców — na wykazanie małżeństw rozwiązanych — na przeniesienie sumy z wykazu Nr. 3, do pierwszej rubryki wykazu Nr. 4. — a nie sumując wykazów nie baczą, ażali przedłożone wykazy co do cyfer są zgodne.

Uprasza się więc Przewielebny Konsystorz o wydanie stósownego polecenia do wszystkich samoistnych duszpasterzy, aby wspomniane wykazy sporządzali z całą dokładnością i najściśléj według instrukcyi.

We Lwowie 12. Października 1880.

Pilne tedy zachowanie instrukcyi poleca Biskupi Konsystorz.

Z Biskupiego Konsystorza, w Tarnowie dnia 20. Października 1880.

L. 4717.

Spowiedź i komunia św. jako też rekolekcye przedwielkanocne mają być w szkołach średnich udzielane w dni wolne od godzin szkolnych.

Prezydium c. k. Rady szkolnéj Krajowéj pod dniem 28. Września 1880 L. 163 udzieliło Biskupiemu Konsystorzowi rozporządzenie Ministerstwa wyznań i oświaty z dnia 13. Lipca 1880 L. 9946 tyczące się odprawiania spowiedzi św. i przyjęcia komunii św. w szkołach średnich, jako téż zaprowadzenia na nowo rekolekcyj przedwielkanocnych, które rozporządzenie bardzo ważne dla miłéj wiadomości Przewielebnemu Duchowieństwu w całéj rozciągłości udzielamy:

Prezydyum c. k. Rady szkolnéj krajowéj. L. 163/Pr. R s. kr. Odpis.

Pan Minister wyznań i oświaty zezwolił reskryptem z dnia 13. Lipca b. r. l. 9946, ażeby w szkołach średnich galicyjskich dla spowiedzi i komunii uczniów katolickich, mającéj według rozporządzenia ministerstwa z 5. Kwietnia 1870 l. 2916 odbywać się na początku i przy końcu roku szkolnego, tudzież w czasie wielkanocnym, gdzieby tego stosunki miejscowe wymagały, przeznaczał dyrektor popołudnie i następny ranek, w każdym poszczególnym wypadku według swego uznania i w porozumieniu z dotyczącymi nauczycielami religii uchylając zarazem na ten czas lekcye szkolne.

W dniu przeznaczonym na spowiedź, zamiast ostatniéj lekcyi szkolnéj przed południem, odbywać się będzie exhorta dla przygotowania uczniów do św. sakramentów spowiedzi i komunii.

Prócz tego przyzwolił Pan Minister, ażeby wprowadzono napowrót rekolekcye pasyjne dla uczniów katolickich w niedzielę palmową i w następujący poniedziałek i wtorek, które to dni wskutek tego mają być wolne od lekcyj szkolnych; natomiast należy także w wschodniéj części kraju odbywać lekcye szkolne w sobotę przed i we wtorek po zielonych świętach.

O czem się Dyrekcyę odnośnie do okólników z 9. Lutego 1876 l. 622 i z 18. Grudnia 1877. l. 12143 zawiadamia.

Lwów, 28. Września 1880.

Potocki m. p.

Piis ad aram suffragiis comendatur.

N. 5004. Anima Perillustris ac A. R. Dni **Stanislai Baniak,** Decani emeriti Parochi in Łapczyca, qui die 31. Octobris post gravem et diuturnum morbum anno ætatis 75 sacer. 47. ad Dominum migravit, *societati precum reciprocarum pro felici morte adscriptus.*

JOSEPHUS ALOJSIUS,
Episcopus Tarnoviensis.

E Consistorio Episcopali,
Tarnoviae die 4. Novembris 1880.

Tarnoviae 1880. Typis A. Rusinowski, Typographi ad honores Episcopalis, Impensis Consistorii.